ſicut dixit Dominus, aut ligantur, aut ſol-
vuntur peccata: in futuro autem nihil aliud
erit, niſi remuneratio aut condemnatio. O-
mnis enim qui hîc vitæ reprobatur, non po-
terit eligi, aut dignus in futura judicari.

Idem Epiſt. 8. ad Heſych. fol. 226.

In quo quemque invenerit ſuus novi-
ſimus dies: in hoc eum comprehende
mundi noviſſimus dies: quoniam qualis a
die illo quisque moritur, talis in die illo
judicabitur. (Ad quid ergo pro-
deſt Purgatorium?)

ERRATA.

Pag. 2. l. 3. col. 1. Imperii. & lin. 17. col. 2. ſic habet. P. 1. dogmatiſavit. P. 8. l. 7. col. 2. inſere: Bellarm. lib. 4. de Rom. Pon. & l. 11. c. 1. edere, aut editos. P. 13. l. 18. AIT: P. 15. l. 22. de l. 23. excommuni. & lin. ult. Eccleſia. P. 16. l. 16. ſeu Lascus. P. penult. interiiſſet: P. 19. l. 13. tra: Petra autem. P. 24. l. 1. col. 2. tium, P. 31. l. 1. imputatur. P. 33. l. 19. Monachi & lin. 22. P. 35. l. 10. Idem. P. 36. lin. 3. ſalutis. & l. 5. dazu thun. & Palude P. 37. l. 9. ſui. P. 41. l. 6. fides ambiguum. P. 44. l. 2. trationis, & l. 13. col. 1. nos cum. & l. 13. col. 2. pag. 36. 37. l. 17. fida. P. 48. l. 20. Verè. P. 50. l. 5. Senſus &. & l. 6. adole ſua. & l. 8. Nos. & poſt lin. 10. pone: Sibi ipſi contrarius. & la ſuiuspiam. P. 51. l. 5. Thomas. P. 52. l. 6. trigeſimo ſecundo. P. 20. Obſecro, ut. P. 58. l. 4. cetis. P. 59. l. ult. dede, da. P. 61. l. 14. ficis. & l. 15. tifice. P. 65. l. 11. tutis, & l. 12. col. 2. ipſa P. 68. l. 12. Cō- & l. ult. marg. crilegi. P. 69. l. 4. tuerit. & l. 1. charistia. P. 77. l. antep. objectionem.

ſicut dixit Dominus, aut ligantur, aut ſol-
vuntur peccata: in futuro autem nihil aliud
erit, niſi remuneratio aut condemnatio. O-
mnis enim qui hîc vitæ reprobatur, non po-
terit eligi, aut dignus in futura judicari.

Idem Epiſt. 8. ad Heſych. fol. 226.

In quo quemque invenerit ſuus novi-
ſimus dies: in hoc eum comprehende
mundi noviſſimus dies: quoniam qualis a
die illo quisque moritur, talis in die illo
judicabitur. (Ad quid ergo pro-
deſt Purgatorium?)

ERRATA.

Pag. 2. l. 3. col. 1. Imperii. & lin. 17. col. 2. ſic habet. P. 1. dogmatiſavit. P. 8. l. 7. col. 2. inſere: Bellarm. lib. 4. de Rom. Pon. & l. 11. c. 1. edere, aut editos. P. 13. l. 18. AIT: P. 15. l. 22. de l. 23. excommuni. & lin. ult. Eccleſia. P. 16. l. 16. ſeu Lascus. P. penult. interiiſſet: P. 19. l. 13. tra: Petra autem. P. 24. l. 1. col. 2. tium, P. 31. l. 1. imputatur. P. 33. l. 19. Monachi & lin. 22. P. 35. l. 10. Idem. P. 36. lin. 3. ſalutis. & l. 5. dazu thun. & Palude P. 37. l. 9. ſui. P. 41. l. 6. fides ambiguum. P. 44. l. 2. trationis, & l. 13. col. 1. nos cum. & l. 13. col. 2. pag. 36. 37. l. 17. fida. P. 48. l. 20. Verè. P. 50. l. 5. Senſus &. & l. 6. adole ſua. & l. 8. Nos. & poſt lin. 10. pone: Sibi ipſi contrarius. & la ſuiuspiam. P. 51. l. 5. Thomas. P. 52. l. 6. trigeſimo ſecundo. P. 20. Obſecro, ut. P. 58. l. 4. cetis. P. 59. l. ult. dede, da. P. 61. l. 14. ficis. & l. 15. tifice. P. 65. l. 11. tutis, & l. 12. col. 2. ipſa P. 68. l. 12. Cō- & l. ult. marg. crilegi. P. 69. l. 4. tuerit. & l. 1. charistia. P. 77. l. antep. objectionem.

De Studiis

IESVITARVM

ABSTRVSIORIBVS,

RELATIO.

Excudebatur

ANNO

M DC VIII.

DE STUDIIS IESVITARVM ABSTRUSIORIBUS.

QVod Marcus Cato olim dixit; Mirum si Aruspex Aruspicem videat, & non rideat: Idem quis non incommodè de Iesuitis pronunciet; Mirum si Iesuita Iesuitam intuens risum cohibeat. Loquor autem non de simplicibus Iesuitis, quibus vel ob ingenii debilitatē, vel religionis opinionē, vel temporis brevitatem, abstrusiores Iesuitarum technæ ignotę sunt. Hi namque tātâ disciplinę severitate coërcētur, ut nemo illorum nisi sagacissimus subodorari possit, quid monstri subsit. Sermo mihi est de ipsis Jesuitarchis, Regentibus, Patribus, Provincialibus, Generalibus. Quorum tanta est, cùm omniū flagitiorum, tum maximè scortationum, pditionum & magicarū artium com-

munio: ut omninò mirum videri debeat, si quis alteri repentè fiat obviam, statimq; quasi quoddam exemplar intueatur sui, non extemplò rideat effusissimè. Placet igitur hoc loco nonnulla recensere, quæ maximam partē ipsemet vidi, partim à Iesuitis audivi, quos nominare possum, & certè nominabo si contra hæc vel hiscere ausint. Omnia autem nunc breviter & rudi quadam delineatione: ea suo tempore, Deo volente, fusiùs & prolixiùs, assignatis omnib' circumstantiis.

Principiò, si ingrederis Collegiū aliquod Jesuitarum, præcipuè in urbe aliqua ampla & populosa cōstructum, (at quid dico præcipuè? cùm nullū collegium sit in loco humili atq; obscuro) si, inquā, tale aliquod collegium ingrederis, jam primùm ab initio intuere diligenter lanitorem, alterū Charontem, aut potiùs Cerberum. Is enim plerumque senio jam confectus, aut si junior, certè exploratissimę fidei & taciturnitatis. Hic, si quispiā alius, omnia mysteria Cabalę novit. Apud hunc reposita sunt omnis generis status virilia & muliebria vestimenta. Hisce variis modis, quam quisq; personam agere se

posse

posse confidit, induti Jesuitæ, mirabiles exercent impostu̇ras. Nunc enim militari habitu conspicui, p plateas & compita vagantur, & in publicis lupanaribus scortantur & heluantur. Nunc civicam vestem induti, seque Lutheranos aut Calvinistas ꝓfessi, explorant in diversoriis, in foro, in tribubus, quid vulgò de se dicatur, quę consilia volvantur & ineantur. Nūc Doctoris habitu clari, & annulis radiātes, & ex ꝓfesso se Pontificios asserentes, ubi sciunt locupletiores esse è plebe, quibus sunt filii; tanquam aliud quid scisciturі, adeunt, & in eorum familiaritatē sese insinuāt variis modis. Hortantur ad extremum, ut filios suos Iesuitarum disetplinæ cōmittant. Nam & se, ajunt, ipsis Magistris usos, & non pœnitendos feciſse progressus. Nunc nobilē induti, conducto foris veredo, Principum Aulas frequentant causâ officii. Nunc exules præ se ferunt, sibiq; subveniri petunt, præsertim à Theologis Protestantibus & Calvinianis: ut explorent, quid contra se scriptitēt. Et tales omninò puto fuisse eos, qui vos hactenus, Viri Reverendi, tàm misere decepe-runt. Sed quò magis ejusmodi exploratores in-posterum caveatis, dicam vobis postea,

quid consilii modò, modò inquam, ceperint Iesuitæ.

Jam verò quorsum muliebres illæ vestes? Nullus Terentianus Leno tàm subductâ ratione ad conciliandos meretricios amores fuit, quàm sunt hodie Jesuitæ; ac præsertim is, quem dixi, Janitor. Nam quod alii in penetralibus & adytis templorum, per auricularem confessionem consequi nequeunt. Hic blanditiis & miris allectamentis facilè impetrat, maximè apud pauperiores viduas & mulierculas, qui filias eò mittunt acquirendę causâ Eleemosynę. Et adde nomina in IX: ut Lotrix, Netrix. Has ubi in nassam attraxit impurissimus portitor, etsi illæ laceris & detritis squalent vestibus: tamē aliis, quas habet in promtu, splendidè ipsas exornat, easq; per varios anfractus & meatus ad venerabiles Dominos Patres deducit. Ist hæc autem nō fiunt interdiu, sed sub serū crepusculum. Inde totam noctem heluationibus & tripudiis exigunt, junioribus hæc non animadvertentibus. Habent enim ad hanc rem reducta & concamerata, aut etiam subterranea loca & laquearia, ut illi qui olim Romæ Veneri initiabantur: quorum tàm beluina fuit

ad ca-

ad carnis lasciviam projectio, ut iram Deorũ veritus Senatus, Lupanar illud funditus everterit: sicut Livius testatur. Hæc de Janitore Jesuitico. Quibus & hoc addo: si qui fortè talem & tantum apparatũ vestimentorũ conspiciunt, miranturq; quid sibi velit: his respondetur, ist hæc omnia conservari, agendarum comœdiarum gratiâ. Sed hic est finis minùs principalis.

Jam porrò Templum ubi es ingressus, ne dubita, quin sub ferreo cœlo ambules. Mars tibi imminet cruentus, non Princeps ille pacis. Subter te luridũ Inferni barathrũ, & officina carnificum. Referã hîc bonâ fide, quæ ipse vidi. Pragæ supra templi laquearia, aliquot millia ferreorum cestuum & flagellorum invenias, ut Bohemis ferre mos est. Ad latera disposita sunt tormenta bellica, & musquettę quãplurimę, interpositis lanceis & bipennibus. In medio, ubi coëunt arcus laquearių, prędrãdium missilium lapidum aggeres conspicies amplissimos. Similem apparatum deprehendes etiam Cracoviæ. De reliquis collegiis non dubito. At in quem finem quæritis, obsero? Fatcor & mihi ab initio rem mirabilem & prodigiosam

visam. Sed res sic habet. Sciunt Iesuitę, se in omnium propè hominũ, etiam saniorum Papistarũ odio versari, propter res turbulentas & nefariè à se gestas. Neminem enim curant ne consortes quidem Religionis, dummodò Pontifici gratificentur, etiam cum totius orbis cõfusione & patriæ proditione. Qui igitur in perpetuis animi consternationibus hærent: maturè cautum sibi volunt ejusmodi apparatu bellico. Metuunt enim, ut ego-met ab ipsis aliquoties audivi, ne sibi idem accidat, quod Templariis: qui licet impensè Pontificii essent, tamen propter nimiã ambitionem & avaritiam intolerabiles effecti de consensu omnium Christianorum Principum, & ipsius quoq; Pontificis approbatione, uno propè momento per universum mundum è medio sublati atq; exstincti fuerunt. Idem accidit & Pythagoricis, Ethnicorum Iesuitis in Italia. Verùm in templis potissimùm reposita sua volunt præsidia & arma, idq; propterea: sive enim exorto tumultu concursus fiat à Papistis, auxiliandi gratia ut subitò armari possint: sive diripiendi & prædandi causâ confluant alienæ religionis asseclæ, ut supernè telis & lapidibus obruant quean-

queant. An verò non hoc est ex domo orationis facere speluncam latronum? Sed audire, quæ magis miremini & detestemini. Nam hæc sunt aurea & eburnea, præ iis quæ sequuntur.

Subter pauimentum templi, Græcii & alibi, sunt cavernæ & carceres subterranei, ad quos supernè descenditur per cochleas. Huc conferunt, ut Virgilianus ille Cacus, rapinas & thesauros suos, stipantq; thesauris ingens argentum. Et sic non modò summo cum voluntatis consensu, sed etiam incredibili cum voluptate, sunt pauperes, illamq; paupertatem admirabili patientiâ sufferunt: involuntarios pauperes, uti indignos tàm beatâ cruce, diris devoventes. Divitias autem suas ità plerumq; condunt, ut directè & perpendiculariter subjaceant Altari majori & eminentiori. Atq; sic cùm Missam cudunt, suprà Marti, & infrà Mammonæ sacra faciũt In carceribus verò subterraneis, miram videas Bibliothecam: Funes, fidiculas, gladios, secures, forcipes, cippos, numellas, scalas, quibus illigati miseri artuatim distrahuntur, si qui devenerint in istorum Mezentiorum & Phalaridum manus. Non desunt tragicæ ve-

ſtes carnificum, pileus pyramidalis, atris plumis ornatus, thorax fimbriatus & diſſectus, caligę hydropicæ & follicantes, ad talos usq; demiſſę, ut vel intuenti horrorē incutiant. In quem finem, malùm, hęc officina parata eſt à viris religioſis, & mitiſſimi Salvatoris noſtri ęmulis? Audi. Iſtiusmodi inſtrumentis intellectum diſcipulorum ſuorum captivum ducunt ſub obſequium Ieſuiticum. Si quem enim non duraturum ſuſpicantur in propoſito, aut erupturum, & arcana Ieſuitica proditurū metuunt: hunc cippo incluſum, diuq; fame & inediâ maceratū, tandem exquiſitiſſimis tormentis enecant. Nihil ipſis affingo. Scribo quod res eſt. Fuit Græcii ante biennium, Iacobus quidam Cluſſæus, nobilis Carniolanus, pręſtantis ingenii adoleſcēs, hunc virgis & loris, ob rem leviculam miſerrimè conciſum, cùm ſe profugiturum, & quæ præterea in ſe flagitioſè commiſiſſet, palàm conqueſturum affirmaſſet, ejusmodi carceri manciparunt, ex quo poſtea nunquam emerſiſſe viſus. Nulli juniorum dubitabamus, quin diris cruciatibus exſpiraſſet. Hoc inauditæ tyrannidis exemplū, ſuo tempore, conſignatis omnibus circumſtantiis

quo-

quod ipse miser Clusseus facturus erat, ego divulgabo. Quin & aliud huic nō dissimile facinus, in Martinum quendam, cujus parētes adhuc vivunt Miltenbergę aut Milbergę, scelerato latrōcinio à Fuldensibus Iesuitis admissum, omnium hominū oculis subjiciam. Et quot existimatis istiusmodi barathro devoratas & absumtas fœminas? quot interemtos infantulos? quot opulenti & ampli patrimonii sublatos adolescentes? Ego quidem hoc ipsum firmissimè statuo. Quoties sub noctem auditi Novitiis nobis ejulatus, vagitus, suspiria & lamenta longè miserrima? gelidissimum exigente motu p corpus sudorem, & pilis horrore rigentibus. Crediderunt simpliciores, esse animas recens defunctorum. Ego credidi recens natorum & occisorum. Cæterùm ne quid Iesuitis ad extremam Diabolicam malitiam desit, solent illi nonnunquam, in ejusmodi subterraneis locis, Diabolo jucundū præbere spectaculū, dum terrificas induti larvas, Novitiis ad hanc Tragœdiā evocatis, horrēdo cum boatu occurrunt, exploraturi eorū cōstantiam & præsentiam animi. Nam qui

fracto & dejecto sunt corde, eos, ceu degeneres, ad Magicarum artium penetralia nō admittunt, sed ad inferiorum artium vestibulum abjiciunt. Audaciores diligenter notant, & seriis studiis reservant. Sed res sæpè caditi feliciter: ut An. 1602. Mense Septemb. Pra contigit, dum quinq; Iesuitis primariis, s Diabolicis larvis juventuti obludenbus, i miscuit se sextus, & is quidem haud dubiè rus Diabolus, qui unum ex quinq; fictis Di bolis medium complexus, sic pressit, ut duo pòst morerctur. Factum id lippis tonsoribus notum Pragæ. Nec tamen tragico illo exitu deterriti, in sacrilego Magi studio obstinatè pergunt. Inter omnes a Jesuitas, Magicarum artium peritiâ emin Pere Couton Gallu6, quem Rex ipse tanti cit, ut Regiæ mensæ adhibeat, & familiar cum eo misceat sermones. De quo ipsi stant Jesuitæ, quòd speculum habeat consta latum, quo, quicquid scire Rex aveat, persp cuè ipsi repręsentet. Nec esse quid tàm abs truſum, aut geri & consultari in reliquorum Monarcharum intimis conclavibus, quod illius constellati, vel potiùs cōdiabolati spe culi beneficio non in lucem proferre possi

Et quidem hujus Iesuitæ Magi operâ, confisi sunt Iesuitæ, potentissimũ quendam Imperii Principẽ, eumq; Evangelicũ, in partes suas pertrahere: quandoquidem is Magię studio mirificè delectatus fuisse dicebatur. Quos verò inter seſe Novitios huic artificio perdiscẽdo deputârunt, iis explicant nongentas illas propositiones, quas Mirandulanus ille Comes Romę affixit: Item Johannis Trithemii librum de secund. Item Cornelii Aggrippæ tractatum de occulta Philosophia: Item Theophrastum de constellatione & sigillis Planetarum: Item nescio cujus Abbatis Steganographiam: Item artem Pauli ad conciliandas revelationes. Eandem calluisse dicũt Johannem. Imò Christum ipsum omnibus numeris absolutissimum fuisse Magum, nõ dubitant: ut egomet ab ipsis non semel audivi, & nominare possum à quibus. Et hactenus de templo Jesuitico: quibus addo, subterraneas illas latebras & lyncæa antra subesseplerumq; choro aut peristylio; non ubi populus consistit.

Nunc ubi te extuleris ex templo in Musęum, (de triclinio enim, cubiculo, & areâ recreationis; item de disciplina Novitiorum,

qui jam votis se adstrinxerunt, & de co
ctu cæterorum discipulorum, qui Iesuit
true sunt commissi; item de methodo &
dine studiorum, nihil nunc quidem dic
sed in aliud tempus differam, & sunt ple
aliunde nota) Ubi inquam in Museum
contuleris, ad dextrum latus te converte,
debis ibi lectissimam & conquisitissim
Bibliothecam omnis generis author
Libri omnes in pelles aut membranas m
dissimas compacti, auro & argento radi
Quorum usus est quotidianus, illi pulp
dispositi in prælongâ tabulâ catenis sunt
ligati. Ad interiorem Bibliothecam soli
gredi licet Patribus, & libros inde mutu
quos velint. Iunioribus prostant illiqu
diani, nec sine veniâ Regentis è reliqui
apicem excerpere licet. Cæterùm in
Bibliotheca nulli sunt libri hæreticor
sed probatissimorum authorũ, & Catho
omnes. Indignos enim iudicant, ut inte
liquos locum aliquem obtineant· & fu
metuunt, ne pestiferâ contagione cæt
inficiant. Quare ad sinistram tu respice.
cernes miseros hæreticorũ libros in luc
squalore constitutos, & quidem atris p

bus, atris membranis ligatos, & atro colore desuper tinctos omnes. Et his ne Patribus quidem eximere fas est, quos desiderant, sine præscitu Regentis: junioribus autem ne petere quidem licet, nisi carmine priùs aut alio scripto hunc ipsum authorem, cujus scripta recognoscere cupiunt, omni genere conviciorum prosciderint. Inter hasce Bibliothecas medium occupat Museum, multis cellu-li, cæruleo velo ab invicem separatis, distinctum. Dextrum latus obsident Patres; sinistrum juniores, qui jam ordines aliquot susceperunt. Reliqui Novitii communibus convictoribus sunt immixti, ut ipsos observent, eisque Iesuitici Ordinis suavitatem & excellentiam continuis vicibus deprædicent; maximè locupletioribus & heredibus patrimoniorum suorum unicis. De studiis Jesuitarum hic nihil subjiciam: Sed describam breviter examen Provincialis, quod nusquam exstare arbitror.

Unusquisq; Provincialis, ab ea provincia, vel regno potiùs, quod inspectioni & curæ suæ commissum habet, denominatur. Ejus officium est, invisere collegia, eorumq; supputare reditus & cēsus; insuper annotare

diligenter, quínam ex magnatibus libero
in collegiis erudiri curent, & quot eorũ sint
numero? Num quotannis aliqua fiat acce
sio discipulorum, & amplificatio fortu
rum & opum? Num qui sint, & quot, ex L
theranismo conversi. Si nulli, aut etiam a
qua facta Pontificiæ religionis imminuti
& jactura bonorum: exprobrat negligẽtia
& socordiam, mandatq; severiter, ut acc
ptum damnum resarciant. Quòd si ge
runt se egregiè, multos converterunt, m
tum comparserunt & corraserunt: om
laude cumulat & cœlo effert. Insuper sci
tatur, quínam sint vicinorum hæreticor
Principes? crebriùs sint domi, an alibi?
quósnam proficiscantur frequentiùs? q
quisque sit ingenio? quibus rebus utpl
mùm delectetur? An curam aliquam su
piat Reipublicæ? An amore & studio
quo teneatur Religionis? an potiùs v
Veneri & venatui indulgeat? An & quos
beat in aula Catholicos? Quínam sint po
lares rumores de suis Principibus? N
Ecclesiæ adversariorum faveant? Num
stores Ecclesiarum sint viri docti & dilig
tes, an verò somnolenti & illiterati? N

Theologica facultas in vicina Academia floreat? Num crebriores habeant Theologi disputationes, & contra quos maximè? quos libros & de qua materia in lucem ediderint nuperrimè? Ad hęc & alia si respondeat Regens & reliqui Patres appositè: mirificè prędicat industriam & vigilantiam: sin minùs, eosque adeò rerum istarum nescios deprehendit, acerbè vituperat. Quid agitis, inquit, vos somnolenti & desides? Cur perditum itis Romanam Ecclesiam? Quomodo summo Pontifici hanc inertiam vestram probabitis? Cur non insinuatis vos agendis rebus? Cur metuitis? Cur non intrepidè rem aggredimini? dudum hæc gesta; nedum perfecta oportuit. Videte vigilantiam hæreticorum incredibilem? & vos stertitis? His & similibus verbis illos increpat & exacuit. Tandē quęrit De discipulis, Convictoribus, Novitiis, & reliquis. quot eorum sint numero? quantus cujusq; profectus? ad quod quisq; studium inclinet? num quis inter eos spinosior & scrupulosior? Talem enim à Theologico studio prorsus removendum existimat, nisi scholasticis disputationibus probè exercitatum, & opinione Religionis

imbutum. Quærit præterea: Num quem habeant in grege, qui pro amplificanda Romana Ecclesia, laudabili aliquo facinore se obstringere, & vitam deniq; profundere non dubitet, siquidem necessitas aliquando hæc cogitare videatur? Ad extremum, omnia hæc consignata, Generali transmittit Romam, per quem immediatè significant Pontifici. Atque sic per totum orbem Christianorum nihil geritur aut consultatur, quod non per hos Imperii proditores Papæ innotescat. Per Provincialem etiam Jesuitæ ab uno collegio in aliud transferuntur, idq; ferè triennio quolibet.

Addam postremo, loco corollarii, miras Iesuitarum technas, quas nuper admodum communi consilio fabricatas, ad subvertendum Ecclesiæ & Reipub. statum in Imperio Romano, in effectum traducere conati sunt ac conantur etiamnum hodie. Est enim hic eorum finis unicus, quo pacto commissis inter sese Imperii Principibus, & sublatis e medio præcipuis Ecclesiæ Doctoribus, Hispanicam tyrannidem & primatum Pontificis in Germaniam subinferant. De qua re ipsum Provincialem Del Rio verba facientem

cientem commemini. Consilia & Machinę ferè sunt ejusmodi, ut sequitur.

Principiò videndum & elaborandum, quomodo potentissimi Imperii Principes à se invicem abalienentur. Hic finis est. Medium ut abalienẽtur, est ipsa Religionis inter ipsos diversitas. Cæsar ita se declaret: Religionis libertatem locum non habere, nisi priùs ablata restituantur, post Patavienſem tractationem. Hoc illi certè renuent & excutient. Mittat igitur Principes, & idem flagitet à Civitatibus Imperii. Illæ aut obedient, aut non obedient. Si prius: salva res est. si posterius: proscribat eas, & vicinis Principibus, ac semper uni Calviniano, & alteri Lutherano, diripiendas tradat. Non enim putarunt Pontificii, tàm prudentes fore Protestantes Principes, in causſa Donawerdenſi, quin sevel ad minimum Palatinus, aut VVirtebergicus oppositurus esset Bavaro. Quo facto, proscripti fuissent & ipsi, & omnis conscissa pacificandi ratio, non modò cum Pontificiis, sed etiam Calvinianis. Quia verò consideratiùs egerunt, quàm existimatum fuit, ad has converterũt se fraudes Jesuitæ. Nam proscriptis unâ atq;

alterâ Civitatibus Imperii, nullus sibi te
peraturus est Princeps, quin malit sibi po
ùs, quàm alteri æmulo ex cōmuni pra
consultum. Hoc in genere. In specie a
tem adnitendum esse, ut, commissis in
sese Saxoniæ Principibus, potentia con
frangatur. Id autem fieri posse comm
dissimè. 1. Si primatus Magdeburgicus, q
nunc vacat, Electori Colonienſi Bava
decernatur administrandus. id neque Br
deburgicus, neque Saxo, facilè conce
rint. 2. Id si non succedat pro votis: a
quid causæ obtendendum, quare videa
aut videri debeat ab Electorali dignitate
movendus Saxo. Si enim olim Imp
Principes VVenceslaum à Cæsareo cul
ne dejecerunt, quia ipsis videbatur ignav
habere etiam Cæsarem justam causam, q
re Saxonem istum, quotidiè ebrium,
Electorali dignitate removeat. Tradat
que atque restituat hanc dignitatem Fa
lix Vinarienſi: & quia Principes illi
huc minorennes, administrationem
lecturæ committat Henrico Brunsvvi
si, Principi literato & vigilanti. Hæc re
ne dubio incredibiles excitabit turbas

totam Saxoniam. Ita mutuis se conficient & atterent viribus, ut communi mox superventuro hosti resistere nequeant. Brandeburgicum & Pomeranos quod attinet: dandam operam, ut affinis Cæsaris Rex Polonię, cum patruo suo Rege Sueciæ sic paciscatur, ut Prussiam communi sectioni subjiciant, & in capita dividant. Contra quod scilicet Brandeburgicus se totis viribus opponet. Hassiæ verò Landgravium adurgendum, ut cum patrueli Ludovico dividat hæreditatē æquabiliter, & Hersfeldensem administrationem resignet Episcopo Herbipolensi: sin minùs, ut proscribatur, & Ludovico ditiones eius assignentur. Wirtenbergicum porrò Ducem & Electorem Palatinum facilè committi posse inter se, si ad restitutionem Cœnobiorum aliquot Dux adigatur, & si nolit, proscribatur, assignatis Electori vicinis aliquot Monasteriis, & inter ea cum primis uno, quod pridē desideravisse dicitur. Hęc sunt funesta consilia Iesuitarum, quæ ex ore ipsorum audivi cum summo stupore & admiratione. Suntque quamplurima alia, quæ non omnia mihi succurrunt. Et in hunc finem spectat

pax Belgica & Turcica. Sed Deum credo sic direxisse, in Ecclesiæ salutem, ut, quas illi inimicitias inter Germaniæ proceres serere nituntur, eas jã conspiciant flagrare inter Cæsarem & fratrem ejus Matthiam, Pontificis addictissimos & charissimos filios. Quin & hoc deliberatum & consultatum est à Jesuitis: ut, emissis aliquot audacissimis sicariis, præcipuos Evangelicæ & Calvinianæ Ecclesiæ Doctores, veneno tollant, tantâ in toxicandi peritiâ instructis, ut patinas, maluvia, lebetes, & quæ reliqua ad usum quotidianum destinata sunt, sic inficere valeant; ut, licet decies expurgentur, tamen atrocissimi & præsentissimi veneni vim retineant.

Quapropter omnes pios & sinceros Ecclesiæ Antistites hortor, ut in posterum sibi cavere velint: nec cuiquam facilè fidem adjungant, nisi priùs probè exploraverint. Hæc in mentem mihi venire nunquam potuissent, nunquam etiam venissent: nisi à primariis Jesuiticæ colluviei sociis hæc singula, & multò alia plura accepissem. quæ in Patriæ & Ecclesiæ salutem, in apricum pro-

ducti

ducere debui: nunc quidem saltem delineando; at suo tempore, Deo volente, omnibus coloribus & circumstantiis, loci, temporis, & personarum, exprimendo.

Augustæ Vindelicor. XXI. Mart.
Anno MDCVIII.